

**05**

**A**

**1064**





1914.2183.

Q. D. B. V.

EX

Theologia Naturali  
DISTINCTIONEM


# Voluntatis DEI

in antecedentem & consequentem,  
PAULO VOETIO

in primis oppositam,  
SUB PRÆSIDIO

M. ANDREÆ öpffers/  
Wernigeroda-Sax.

publico eruditorum examini  
submitter

RESPONDENS  
BERTRAMUS jardes/  
Wittmunda-Frisius,


Ad diem Dec. Anno 1692.  
IN AUDITORIO MINORI.



WITTENBERGÆ, LITERIS JOHANNIS WILCKH.



105 A 1064



A. & Ω.

§. I.



**V**ariæ Autorum de Voluntate DEI pro-  
stant sententiæ, quorum nonnulli (ex veteribus  
in primis atque ethnicis philosophis) eo auda-  
ciæ progressi sunt, ut omnem plane Deo dene-  
gaverint voluntatem, numen aliquod Stoicum,  
Parcarum carcere clausum, ex Deo facientes,  
de quo vid. Plato *l. 10. de Republ.* Quem errorem quoque Aristoteli  
imputare satagit Ludov. Vives *l. 1. de verit relig. Christ.* Peripate-  
ticos etiam ejusdem criminis, reos facit Pererius *l. 15. Physiolog.*  
Quamquam mitius de Aristotele sentiant alii, inter quos est Ca-  
jetanus & Toletus. Nam si Aristoteles, uti de Porphyrio, Avi-  
cenna, aliisque dicunt Scriptores, per voluntatem, inclinationem  
scilicet propensionem ad bonum, quo quis eget, adeoque desiderium  
perfectionis intellexit, rectissime talē Deo competere negavit,  
& sic ab omni crimine absolvi facile potest. Per voluntatem e-  
nim in Deo, propensio simpliciter talis ad bonum intellectu  
perceptum intelligitur. Hanc voluntatem, quæ cum volitione  
scilicet actu volendi idem est, adeoque ab eodem, uti in vulgari acce-  
ptione fieri solet, realiter non distinguitur, Deo denegaturus,  
non modo perfectione aliqua simpliciter tali, sed & intellectu,  
quoniam ipsa vita, cujus actus immanentes inorganici intellectus  
& voluntas sunt, eundem spoliabit. Non permittit instituti no-  
stri ratio, ut liti ab autoribus supra citatis motæ nos immiscea-  
mus, aut de voluntate hæcenus proposita declaremus ulterius,  
cum res illa hodie in controversiam adeo amplius non veniat,  
sed potius ad alia properare nos jubet.

§. II. Minus quidem curabimus illos, quibus odiosa forsitan  
atque rixosa, quæ tractaturi sumus, videbuntur, sufficit nobis pro-  
posuisse ea, quorum usus in Theologia esse poterit. Nemini igno-  
tum

A 2

tum

tum esse credo, nisi hospiti in rebus theologicis, quantas turbas nobis dederint & adhuc dent Reformati in articulo de prædestinatione. Clara sunt ipsorum de absoluto reprobationis decreto effata, quibus omnem damnationis hominum culpam in Deum deferunt, & reprobationis causam non peccatum, sed Dei beneplacitum asserunt. Vid. Synodus Dordracena. Polanus *lib. 4. Syntagm.* Dan. Chamier *Tom. 3. Panstrat. Cathol. l. 8.* Molinæus. *Anatom. Arminianismi &c.* Cujus falsissimæ suæ sententiæ præsidium in dictis quibusdam biblicis, quanquam frustra, quærent, ubi Deus interitum impiorum velle dicitur. His ergo dum fortiter sese opposuerunt, honorem Dei vindicaturi, Orthodoxi Theologi, adhibuerunt feliciter distinctionem voluntatis divinæ in antecedentem & consequentem. Hanc cum dextre adhibitam vehementer labefactare absoluti sui decreti fulcra cernerent adversarii, totis viribus eandem impugnarunt semper, tanquam fictam, absurdam, sibiq; minime constantem: quas calumnias retundendas & prosternendas impræsentiarum nobis sumpsimus. Equidem ultro fatemur, Theologos sibi vendicare doctrinam hanc, quibus etiam ex Scripturis eam declarandam & probandam relinquimus, ne falcem in alienam immittamus messem. Sed vero cum plurima ipsorum contra distinctionem hanc prolata argumenta ex ratione petita sint, nemo nobis vitio vertet, si eadem quoque ad considerationem philosophicam revocando, juxta rationem sanam examinemus, & in valorem eorum inquiramus. Cui proposito ut clementissime Deus vires largiatur, submisse precamur!

§. III. Ut autem occurramus cavillo adversariorum, clamantium, absurdam hanc distinctionem esse, de usu & acceptione ejus disquirendum primum esse arbitror. Non recens ficta ea est, (quanquam hoc ipsius valori nihil derogaret, si modo fundata esset in re.) sed jamdudum a veteribus scriptoribus adhibita. Usus eadem est Damascenus *lib. 2. de orthod. fide.* Qui postquam asseruit, Deum omnes antecedenter velle salvare & regnum ejus consequi, peccantes vero puniri, ita demum pergit: λέγεται εἰ τὸ μὲν πρῶτον προηγούμενον θέλημα καὶ εὐδοκία, ἐξ αὐτῶν ὄν, τὸ δὲ δεῖτερον ἐπομένον θέλημα, καὶ ἡ ἀποχώρησις ἐξ ἡμετέρας αἰτίας, dicitur ergo prima antecedens voluntas & beneplaci-

rum ex ipso existens, secunda vero consequens voluntas & permissio, & nostra causa, sc. ortum trabens. Ubi Damascenus per antecedentem voluntatem eam intelligit, quæ DEUS liberrime creaturis benefacere, bonaque conferre intendit, nequaquam ab ipsis tanquam causis impellentibus ad id motus, & propterea eam *ἡ ἀπὸ τοῦ Θεοῦ* ex ipso Deo esse asserit, quia primaria hujus voluntatis causa non penes nos, sed Deum ipsum (ejus liberalitatem sita est: consequentem vero dicit esse *ἡ ἀπὸ τῶν ἡμετέρων αἰτιῶν* ex nostra causa. Ubi in diversa abeunt Damasceni interpretes. Quidam per *ἡμῶν αἰτίαν* intelligunt peccatum i. vitium in nobis residens; quibus consequens voluntas juxta Damascenum est, quæ per peccatum s. vitium nostrum existit, adeoque illa tantum complectitur, quæ Deus vult propter peccata. A quibus tamen recedunt alii, inter quos Vasquez est, dicentes, Damascenum l. c. per consequentem voluntatem non illam tantum intelligere, quæ ex peccato s. vitio nostro, sed eam quoque, quæ ex bonis operibus originem ducit, & ita *ἡμῶν αἰτίαν* explicant de eo, quod in nobis causam habet, sive cæteroque in peccato sit, sive aliunde. Sed quam tamen explicationem aliis discutiendam relinquimus.

§. IV. Tradidit etiam distinctionem hanc Chrysostomus *hom. 1. in epist. ad Eph.* hac cum discrepantia, ut antecedentem voluntatem, quæ Deus peccatores perire non vult, sed salvare, primam dicat; consequentem vero quæ in peccatis perseverantes punit, secundam. Citat quoque pro hac distinctione explicanda B. Klotzius in *Pneum. disp. 13. p. 735.* Thomam *P. 1. q. 19. art. 6. ad prim.* qui vid. Tertullianus pariter brevissimis verbis eam inculcat, *lib. de resurr. carn. Deus, inquit, de suo optimus, de nostro justus.* Per suum intelligens liberalitatem & benignitatem Dei, quam in antecedente voluntate nobis proponit, & sic omnino optimus est; per nostrum autem gratiæ vel rejectionem vel acceptionem, dum in voluntate consequente justus Deus est, exequendo nimirum decreta sua, ut pios præmiis afficiat, impios vero puniat.

§. V. Id quod exempla humanæ voluntatis satis probant ac declarant. Pius atque bonus Magistratus omnium certe subditorum vitam, longævitatem & incolumitatem antecedenter

ter

ter animitus cupit, modo illi leges a se latas, & ad tranquillitatem conducentes servent; at vero si violaverint illas, & parere recusaverint, consequenter eosdem punit, aut pro qualitate delicti plane ejicit e republica. Sic quoque fidelis Medicus sanitatem aegroti serio expetit, & media ipsius sanitati restituenda destinat; si autem ille medicamina sibi praescripta contemnat, & usum eorum detrahet, merito deseritur a Medico, qui propter id voluntate consequente sanare non vult, quem antecedente sanare constituerat. Ita agricola antecedente voluntate arborum, quas plantavit, sedulam agit curam, & earum incrementum optat, quod si vero proprio vitio sterilecant, voluntate consequente eas plane vult eradicatas, tanquam minus utiles.

§. VI. Nemo autem sibi persuadeat velim, distinctionem hanc voluntatis Dei fieri ita in se & ratione sui; quasi revera duplex in Deo detur voluntas, quarum una ab altera realiter differat, & eadem tempore vel natura prior aut posterior sit: Deus quippe, qui simplicissima est essentia, simplicissimam quoque voluntatem habet, quae ab essentia realiter non distinguitur. Sive enim voluntatem Dei tanquam actum primum, sive volitionem tanquam actum secundum concipiamus, neutra tamen aliquod in Deo erit accidens, sed utraque potius ipsa simplicissima & infinita Dei essentia, cui omnino repugnat, dari in ea diversos actus, quibus modo hoc, modo istud, modo nunc, modo alio velit tempore. Sed fit ista distinctio ratione nostri ex distincta objectorum habitudine & consideratione, unde discrimen inter voluntatem antecedentem & consequentem non ipsam divinam voluntatem, sed tantum diversos volendi actus denotat. Dum enim Deus aliud sub conditione ab hominibus adimplenda, aliud vero propter ejusdem non-adimplentem & circumstantiam conditioni isti oppositam, adeoque diversa & opposita vult, nos pro hac rerum volitarum differentia ipsam voluntatem divinam in duas partimur voluntates; unam, qua sub conditione, & alteram, qua propter ejus non-adimplentem & circumstantiam conditioni oppositam Deus aliquid vult; quarum prior antecedens, posterior consequens nobis audit.

§. VII.



§. VII. Et in hac significatione definitur nobis *voluntas antecedens*, quod sit, *qua Deus aliquid vult sub certa conditione non habita ratione actualis circumstantia* v.g. quando omnibus hominibus vult benefacere, sed sub hac conditione, si ad leges ipsius se composuerint: *consequens vero voluntas* dicitur, *qua Deus aliquid vult habita ratione actualis circumstantia* v.g. quando homines legibus se opposcentes & in malitiis præfracte viventes vult punire & affigere, Vid. Excellentissimi Dn. Donati, Præceptoris & Patroni summe æstimandi *Institut. Pneumat. c. 16. Theol. pag. 327. seqq.*

§. VIII. Ex quibus satis clarum evadit, nullam exinde in Deum redundare distinctionem realem: utramque enim voluntatem, & antecedentem & consequentem, non pro distinctis s. diversis, sed uno eodemque actu respectu Dei habemus, qui saltem ob diversa connotata & distinctum modum considerandi diversimode nobis concipitur. Ratio autem denominationis hæc est, quod antecedens voluntas omnem hominum antecedit actum, & æqualiter erga quosvis se habeat, dum simpliciter considerat hominem; consequens autem, quod consequatur hominum actus, adeoque ea consideret, quæ homo in tempore agit; num sequatur ordinem a Deo institutum vel minus; an subjiciat legibus divinis caput suum, aut iisdem illud subtrahat. Prior ergo respicit homines in quantum homines; posterior, in quantum tales vel tales sunt: illa universalis, hæc particularis: illa misericordix, hæc justitiæ divinx dicitur. Quæ differentix tantum ratione ordinis, nequaquam ratione temporis obtinent. Cui adstipulatur Suarez *Dispo. metaph. 30. sect. 9. num. 43.* Sic denique, ait, intelligitur optime in libertate divina distinctio & oppositio actuum secundum rationem, sine ulla reali contrarietate vel distinctione: quia nimirum idem est omnino actus secundum rem, qui sine ulla additione ad varia terminatur: & sic ratione distinguitur, & prout terminatur ad hoc, ut aliqua res sit, dicitur amor aut volitio: prout vero terminatur ad non esse talis rei, dicitur nolitio ejusdem rei, & metaphorice odium, non inimicitia, sed abominationis.

§ IX. Sic ergo explicata hæc distinctio non contradictoria, aut divinæ sapientiæ contraria est, uti calumniantur sæpe adversarii, sed fundamentum suum in ipsis Scripturæ dictis, magno numero apud theologos passim citatis, nec non in ipsa ratione habet. Sæpius enim Deus dicitur immutabilis, voluntas ejus permanens &c: & nihilominus tamen in aliis Scripturæ locis de pœnitentia & dolore Dei legitur, quæ certe non possunt non aliquam mutationem involvere. Quæ vero mutatio non intrinsece respectu Dei, utpote in quem propter immutabilitatem suam talis non cadit, sed extrinsece respectu creaturarum, tanquam objectorum voluntatis divinæ explicanda est: quamvis hæc deinceps variam ex eo denominationem non aliter, ac si ipsa mutata esset, accipiat. Nec officit huic asserto, quod Deus quandoq; dicatur velle, non-velle, nolle, &c. longe enim aliter hæc se habent in Deo, quam in nobis. Posteriori modo si considerentur, sunt actus a voluntate humana realiter distincti, qui toties de novo in eo producuntur, quoties homo aliquid velle, vel nolle dicitur, in primis tamen non velle in homine actionem aliquam mixtam denotat. Quæ vero omnia in Deo locum haudquaquam habent, ibi enim tamen velle, & nolle non sunt actus e voluntate Dei elicit, ut ab eadem differant realiter, sed sunt ipsa Dei voluntas, quæ cum connotatione objectorum sumpta sine ulla sui mutatione ad eadem terminatur, adeoque tantum fit mutatio in objectis; & in specie tamen non-velle in Deo non actionem mixtam denotat, quia hæc aliquam agendi impotentiam arguit. Non male hanc in rem Greg. de Valentia, qui Tom. I. Disp. I. qu. 20. punct. 3. fieri non potest inquit, ut quis pro aliquo tempore dicatur de novo a Deo diligi, vel non diligi, nisi pro eodem tempore incipiat habere donum aliquod a Deo sibi communicatum, aut incipiat illud non habere, cum ante habuerit. Ratio est: quoniam hujus novitatis necesse est aliquam mutationem causam esse. Neque tamen hujusmodi mutatio esse potest ex parte ipsius Dei, quasi is objecto non mutat o incipiat habere actum, quo illud amet, aut habere illum desinat: sicut usu venit nobis, qui rem eandem non mutatam nunc diligere, nunc odio prosequi solemus, quoniam sumus mutabiles. Quare oportet necessario mutationem

eam

*eam accidere in ipso objecto divini amoris: Ita scilicet, ut dicatur quod de novo a Deo diligi, pro eo tempore, quo bonum aliquod a divina voluntate sibi communicatum habere incipit, & de novo etiam non diligi, cum incipit ejusmodi aliquod bonum non habere.*

§. X. Sic quomodo commodius dicta Scripturæ, salutem hominum æternam concernentia, explicari possunt, quam hac adhibita distinctione? Unde & Theologi, quando in hoc negotio explicando versantur, non exiguum ejus sentiunt fructum: utpote quibus antecedens voluntas dicitur, quæ Deus omnes omnino homines ante intuitum fidei vel incredulitatis æqualiter salvos voluit per media in æterno de salute hominum decreto ordinata, & hodiernum quoque eorum salutem serio cupit; consequens vero, quæ intuitu fidei solos credentes vult salvare, incredulos vero damnare. De quo vid. Theologi B. D. Calovius *Tom. 1. Syst. p. 449. seqq.* B. D. Olearius *Theol. Pos. Polem. p. 283. seqq.* B. D. Scherzerus *Syst. Theol. pag. 48. & 536. seqq.* aliique; ad quos negotium hoc pertinet.

§. XI. His ex Scriptura petitis fundamentis sana adstipulatur ratio, quæ distinctionem hanc non contradictoriam & absurdam, sed satis bonam esse monstrat. Brutum certe homine longe inferius vel ex eo putatur, quod appetat res absolute; homo vero è contrario circumstantias dijudicare sciat, & quædam absolute, quædam cum conditione, adeoque horum etiam contrarium, si forte conditionis non-adimplerionem, ac circumstantiam conditioni oppositam perspexerit, appetat. Quis dicere auderet, hæc aliquam repugnantiam & imperfectionem in homine involvere, cum potius insigne perfectionis & prudentiæ ejus indicium sint, qui ita dominari voluntati suæ queat, ut sub conditione antecedenter volita, consequenter nolit, aut potius contraria eorum expetat. Nauta profecto mercium suarum, propter quas tot suscepit incommoda, conservationem avidissime expetit, si vero periculum aliquod exinde sibi imminere videt, summæ ipsi prudentiæ ducitur, si easdem in mare projecerit. Notum, quod Deus sine bonitate & justitia esse minime possit, imo ne Deus quidē dici absque iis mereatur, necesse ergo est, ut utraq; in eodem etiam se exerat. Cum igitur per bonitatem suam ad benefaciendum singulis, imprimis rationalibus creaturis, per justitiam vero ad boni remunerationem & mali vindicationem feratur, ultro patet, Deum pro bonitate sua quibusvis libentissime benefacere velle, si modo media a se ad hoc proposita non negligent: unde propria culpa poenis afficiuntur homines, quibus bonitate

B

Dei

Dei, si media ad bonum consequendum ab eo constituta fuissent amplexi, frui licuisset. Præterea nisi omni plane voluntate Deum exuere quis velit, necessario statuendum esse animadvertet, Deum aut simpliciter s. absolute omnia velle, aut sub conditione: at si illud, quodlibet agens necessario ageret (cum nemo huic voluntati resistere valeat) libertatem in agendo amitteret, & sic omnis rerum contingentia in absolutam cederet necessitatem, quæ manifesto sunt absurda, cum quotidiana experientia ex lege naturæ fideliter nos edoceat, Deum multa a nobis fieri velle, quæ tamen haudquaquam actu eventiant, unde Deus aut impotentiaæ cuiusdam arguendus, aut sub conditione quædam velle dicendus est; si vero hoc, nemo certe mirabitur hanc distinctionem, tanquam legitime ex conditionata Dei voluntate fluentem.

§. XII. Ac solet quidem alias prior, nempe antecedens voluntas à scriptoribus vocari inefficax, posterior vero, sc. consequens, efficax: ita Vasquez. in 1. Tom. 1. disp. 83. c. 4. A quo tamen recedunt alii, qui voluntatem ex eo efficacem denominari judicant, quod finem consequi vel efficere intendat; siue obtineatur finis propositus, & eventus intentioni respondeat, siue minus. Quam in rem Becanus in Part. I. theol. Sch. Tr. 1. c. 11. q. 10. Tunc, inquit, censetur efficax intentio finis, quando ex illa sequitur immediatus effectus. At immediatus effectus est electio mediorum. Ergo quandocumq; sequitur electio mediorum, tunc est efficax intentio finis, ac proinde efficax intentio finis semper est prior electione mediorum. Hinc patet, intentionem finis, proprie loquendo, non dici efficacem respectu ipsius finis, sed respectu mediorum. Debet enim dici efficax respectu sui effectus. At sola electio mediorum, non autem consecutio finis est effectus intentionis finis. Nam consecutio finis est effectus mediorum. Nos v. aliorum ductum secuti, efficacem voluntatem non ex electione mediorum, sed ex consecutione termini s. finis iudicamus, dicentes: propterea voluntatem Dei antecedentem inefficacem vocari, quia terminum suum ut plurimum non attingit, consequentem vero efficacem, quia actu terminum suum assequitur. Hoc tamen addito, non vocari consequentem voluntatem efficacem, quod semper voluntas absoluta sit, cui alias æquipollet communiter, sed omnino manere eam conditionatam. Si vero aliquis ab his terminis efficax, & inefficax, propter eorum inconvenientiam, cum quibusdam plane abstinentium esse duxerit, illi iudicium suum relinquimus.

§. XIII. Quibus sic constitutis atq; expositis, expendamus nunc momenta, quæ contra sentientes afferre contra hanc distinctionem solent, in pri-

in primis Paulus Voëtius, cui assertiones nostras opposuimus. Hic autem in *theologia naturali reform. cap. 13. p. 341 seqq.* postquam distinctionem hanc ex mente nostratum explicavit, subjicit tandem iudicium suum, quod per absurde hæc omnia fiant. Urget autem quatuor in primis contra nos rationes, quarum Prima hæc est: *Quicquid Deus vult sua voluntate, id effectum sortitur, nisi aliunde impediatur. Ast quod vult antecedente voluntate, illud etiam vult. Ergo etiam sortitur effectum. Si enim aliunde impediretur, id esset ratione defectus, impotentia & insipientia. Ast neutrum admitti poterit. Ergo. Scire cuperem, cur pronomen suus hic adjecerit Voëtius, quicquid Deus vult sua voluntate.* Vix enim aliquem tam jejunum mihi fingerem, dicentem, Deum etiam quædam velle voluntate aliena; Dei enim voluntas cum a parte rei ipsa divina essentia sit, certe etiam Deus omnia per eandem essentiam, adeoque per sui ipsius voluntatem vult: nisi fortasse hoc ipsum aliquam sententiæ nostræ detorsionem sapiat, quasi affirmantis, Deum in antecedente voluntate res non propria, sed aliena velle voluntate, quod tu. nemini unquam nostratum venit in mentem. Sic quippe solent alias communiter corrumpere nostras sententias, nobisque affingere, quæ ipsi tamē rejicimus atque averfamur. Quod autem ipsum argumentum Voëtii attinet, dicimus: Si major intelligatur de voluntate Dei absoluta, h. m. quicquid Deus vult voluntate absoluta s. simpliciter, id effectum sortitur, concedimus propositionem, & addita restrictio, *nisi aliunde impediatur*, nulla est, quia hæc absoluta Dei voluntas dicitur, quæ absolute aliquid vult, & quod vult, etiam efficit; sive se solo, sive per creaturam, cui voluntati plane nihil valet resistere, & ita nullum impedimentum aliunde circa illam oriri potest. Sed vero sic constituta majore propositione, negatur a nobis minor: omnia enim, quæ Deus vult, tam antecedente, quam consequente voluntate, non simpliciter s. absolute, sed sub conditione tantum vult, quia utraq; hæc voluntas conditionata est. Si vero major de voluntate conditionata intelligi debeat, concedimus totum argumentum, si repetatur in conclusione addita restrictio, *nisi aliunde impediatur*. Sic enim plane contra nos non est, utpote qui ultero fatemur, conditionatam Dei voluntatem non semper fieri, sed propter conditionis a Deo positæ non-adimplentionem aut circumstantiam conditioni oppositam, impediri aliunde, & ita effectum suum haud attingere. Quod vero addit Voëtius, *si aliunde impediretur, id esset ratione defectus, impotentia & insipientia*, hoc est falsissimum. Irrita enim hæc Dei voluntas quandoque redditur, non ratione defectus &c. quia hæc de Deo affirmare blasphemum, sed ratione annexæ

conditionis, utpote citra cujus adimpletionem aut præstantiam, Deus rem aliqui volitam nequaquam decrevit efficere. Novi equidem, quod etiã rejiciat voluntatem conditionatam ipse Voëtius, per id tamen in Deo perfectionem aliquam simpliciter negat, (qualis omnino est voluntas conditionata, dum nihil imperfectionis in formali suo conceptu involvit) creaturis vero omnem libertatem agendi demit, & singulas facit agentia necessario; unde omnem rerum contingentiam e mundo tollit: quod quam absolum sit, nemo non videt.

§. XIV. Ejusdem momenti est, quando porro concludit Voëtius: *Si quid proprie vellet Deus, neq; obtineret, id esset, vel quia id non posset obtinere, vel quia id non vellet. Non posse, repugnat. Non velle etiam repugnat ex hypothese, dum dicit, Deum aliquid velle. Ergo. Unde eleganter Boëtius; quo fit, inquiens, ut si quem videas velle adipisci, quod minime ad p. s. atur, huic obtinendi, quod voluerit, de fuisse valentiam, dubitare non possis.* Particula *proprie* hic iterum adhibita palato nostro minime arridet. Quid enim est velle proprie & improprie in Deo? numne Deus quædam vult improprie? aut, ane Voëtius putat, nos voluntatem antecedentem in Deo habere pro impropria? in hoc certe admodum fallitur, quia exinde nihil aliud, quam imperfectio redundaret in sanctissimum Numen, quod absit! Sin vero pro hac particula *proprie* poneretur *simpliciter* h. m. si quid simpliciter (vel citra conditionem) vellet Deus, neq; obtineret, &c. Sic concedere possemus totum argumentum, tanquam minime contrarium nostræ sententiæ. Juxta allatam enim distinctionem Deus res non simpliciter, sed secundum quid i. e. sub certa conditione vult, quæ nisi impleatur, neq; voluntas obtinet rem volitam, quia alio modo non vult obtinere, quàm sub hac vel illa conditione. Hinc universaliter pronunciare possumus, Deum omnia obtinere, quæ vult, hac modo addita limitatione: eo modo, quo vult vel intendit. Et hoc si adjiciatur in argumento a Voëtio proposito: si quid vellet Deus, neq; obtineret eo modo, quo vellet &c. Sic iterum ambabus manibus ipsi concederemus argumentum, quia plane nobis non adversum. Quæ enim Deus vult simpliciter s. absolute, illa etiam ubiq; & semper obtinet, quæ vero conditionate, vel cum certo ordine, illa etiã ita obtinet, nimirum, ut conditione impleta sequatur effectus, defectu vero ratione causæ secundæ suborto, non sequatur, quia citra conditionem istam a causa secunda implendam obtinere plane non cupit. Hinc recte docent Theologi, (quod  
cuma

cum ipsorum gratia, hic in declarationem rei nobis adferre liceat) Deum, quamvis omnes omnino homines per illimitatam suam potentiam, adeo q; irresistibiliter queat convertere, decrevisse tamen, conversionem fieri per certa media, de se quidem sat efficacia, sed quæ homine repugnante & resistente nihil obtineant. Id quod vero nequaquam aliquam impotentiam aut imperfectionem in Deo arguit, quoniam tale quid ne quidem denotat, quando concursus ejus cum causis secundis in naturaliter agentibus effectum, a natura intentum, non consequitur. Deus enim aliter non constituit, quam per hæc media agere, si ergo defectus in modo agendi à causa secunda oriretur, vel mediolorum usus negligatur, effectus etiam per media illa tantum intentus sequi nequit. Optime proinde docet Chrysostomus *homil. 9. de laud. D. P. Deus nolentes non cogit, sed volentes trahit. Nam si ipse vult, nos autem non volumus, ad nostram salutem nihil proficiunt ea quæ alioquin efficacia sunt: non quia infirma sit ejus voluntas, sed quia cogere neminem vult.* Ubi aperte docet, voluntatem divinam nunquam aliquid intendere, quod actu non obtineatur, non quidem propter infirmitatem aliquam, sed quia effectum hunc non immediate causare vult, sed per media potius, efficacia quidem, sed quæ patientur tamen resistantiam.

§. XV. Frustra itaq; est Voetius, quando porro absurditatem nostræ sententiæ ex eo deducere conatur: *quia hac ratione Deus ad creaturæ nutum nollet consequenter, quod antecedenter vellet; adeoq; divina voluntas a creaturæ voluntate dependens esset; adeoq; tale quid vellet Deus futurum, quia esset talis actus futurus.* Tumq; quæram, annon Deus sic nolit aliquid consequenter futurum, quod antecedenter velit? unde illa futuritio antecedenter ad creaturam sit, & unde non-fururitio sit consequenter ad creaturam? casu quo nihil dum est præter Deum? Hic certe nihil reponere poterunt: nisi dicant, omnem illam futuritionem esse a divina voluntate. Et ita omnis voluntas efficax erit futura. Maxime hic sibi placet Voetius & gratulatur de victoriâ contra nos reportata, putans, se tali nos implicuisse nodo, ut plane ex eodem evolvi nequeamus. Sed longe aliter rem se habere, demonstrabimus. Notissima Theologis pariter ac philosophis est distinctio Potentiæ Dei in absolutam & ordinatam. Absoluta est quæ Deus præter aut supra communem naturæ ordinem agit, aut agere potest, hac utitur in productione miraculorum, quando v.g. ex baculo serpentes, ex aqua vinum producit, it. quando solem stare, asinam loqui, & quidem in continenti citra adhibita media facit

facit &c. Ordinata vero est, quia Deus agit, juxta communem naturæ ordinem, a se institutum, talis agendi modus in naturali rerum productione cernitur, v. g. quando ex serpente serpentem, ex vite vinū, ex animali animal producit &c. Ita enim ut plurimum a scriptoribus hæc capitur distinctio, nam quod alio interdum sensu nonnulli eadem utantur, jam non attinet edisserere. Vid. Excellentissimus Dn. Donati l. c. p. 297. seq. Quæcunq; igitur Deus per absolutam suam potentiam efficere vult, semper implentur & effectum nanciscuntur, quia hæc potentia plane non habet limites, & nihil ipsi valet resistere: quæ vero vult producere per potentiam ordinatam, ea semper impleri necesse non est. Influxus equidem ad finem propositum obtinendum sufficiens est, defectus vero ratione causarum secundarum, quarum concursus ad effectum producendum ex ordinatione Dei simul requiritur, oriri potest, qui impedit sæpius, quo minus obtineatur finis. Deus enim juxta ordinatam potentiam agens, non alium, quam proportionatum agentibus secundis ad effectum, cum virtute ipsarum producendum, largitur influxum: unde si causa secunda deficit, vel debilior est, quam ad consecutionem effectus a natura requiritur, proportionatus illi defectui concursus divinus est, nec major, nec minor, quam prout causa secunda deficiens postulat. Nequaquam vero hoc Deum imperfectum reddit: causa enim deficientiæ effectus non in eo consistit, quod Deus eundem sufficienti concursu non potuerit producere, sed potius, quod non alio modo, quam juxta præscriptum ordinem agere, & cum agentibus secundis concurrere voluerit. Anne vero exinde sequitur, Deum agere ad nutum creaturæ? vel, divinam voluntatem dependere a voluntate creaturarum? aut, Deum non posse obtinere voluntatem, sed tantum propterea aliquid velle futurum, quia esset talis actus futurus? Absurdissima hæc sunt, quæ in perversa sententiæ nostræ interpretatione fundantur. Potest enim Deus quidlibet obtinere, quod vult & desiderat, si non 2dum potentiam ordinatam, certe per absolutam, adeoq; plane non eget creaturis, multo minus ad nutum earum se componit ita, ut voluntas ejus ad creaturarum voluntatem normari debeat. Quod vero non semper potentia hac absoluta utatur, sed ex beneplacito suo, quod a nobis rimandum non est, res per ordinatam potentiam fieri velit, id nullius certe eorum, quæ Voetius vult, Deum arguit: quia omnem rerum ordinem & contingentiam, si modo placeret ipsi, in continenti evertere & quodvis in absolutam necessitatem mutare valeret. Nullo igitur negotio responde



dere possumus ad quaestiones à Voetio formatas, in quibus se nihil exi-  
gui invenisse arbitratur, concedendo nempe, omnino Deum aliquid  
velle consequenter futurum, quod antecedenter nolit; sed hac adje-  
cta cautela, quam superius jam tum adduximus, nullam propterea in  
Deum cadere mutationem, sed eam omnem *seri tantū* in subjecto, vo-  
luntati autē divinae adscribi ratione modi nostri considerandi, nec ul-  
lam inde induci pugnam inter duas voluntates, sed alterā alteri subordi-  
nari. Et sic patet etiā, quid de reliquis habendum, quomodo nempe fu-  
tunitio antecedenter & non-funitio consequenter ad creaturam se  
habeat. Funitio quippe antecedenter se habet ad creaturam, quatenus  
huic efficacia praescripta sunt media, per quae, si debito modo agat cum  
influxu divino, actioni suae proportionato, effectum producere certo  
valeat; non-funitio vero consequenter se habet ad creaturam, qua-  
tenus ejus concursus debilior, quam ad effectum requiritur, sicq; per  
propriam culpam deficit, & in causa est, quo minus effectus sequa-  
tur. Non omnis proinde funitio rerum conditionate volitarum a  
divina voluntate pendet, quia ad earum existentiam ex ordinatione di-  
vina concursus causarum secundarum requiritur. Inde obscurum eti-  
am non est, non omnem voluntatem ratione effectus posse appellari  
efficacem: si quis autem ratione ordinationis mediorum & propor-  
tionati concursus ad effectum producendum eam efficacem nomi-  
nare velit, per nos licet.

§. 16. Ultimum nunc Voetii argumentum expendendum restat.  
Quod vero cum nonnulla theologica involvat, delibabimus saltem  
ea (nam multa quidem sunt verba, verum exigui ponderis) quae a lo-  
co hoc non fuerint aliena, caetera libentissime cathedrae theologiae  
committentes. Tota nempe argumenti vis eo abire videtur, quod  
voluntas divina, qua Deus omnibus benefacere cupit, aut aeterna, aut  
non aeterna dicenda sit; si posterio, illam minime esse divinam volunta-  
tem, quia periret, cum tamen haec, utpote quae ipsa Dei essentia, peri-  
re nequeat; si vero prius, ridiculum videri Deum eo quoq; tempore  
bene velle delinquentibus, quo eos punit. Adducitur in declarati-  
onem ulteriorem exemplum judicis, qui omnino pro Tyranno & de-  
ceptore habendus, si dum lento igne hominem consumi pateretur,  
adstantibus dicat, se illi homini optime velle. Ad quae breviter dici-  
mus: Deum quidem omnibus bene velle, sed sub hac tamen condi-  
tione, ut ad leges ejus se componant, quibus vero si resistere quidam mi-  
nus

ius vereantur, cessare illum affectum & contrarium ejus fieri. Unde  
vana est collectio: affectus ille divinus, qua Deus omnibus esse vult,  
aut durat æternum, adeoque etiam ad delinquentes, dum puniuntur.  
spectat; aut non durat æternum. Affectus enim Dei & voluntas perpetuo  
utiq; durat, quia sunt ipsa divina essentia, quæ mutari aut perire non potest;  
quoniam vero homines improbi semetipsos indignos reddiderunt gratiæ  
divinæ, ad hos amplius affectus ille non pertinet, quomodo ergo respectu  
eorum æternum durare potest: Dicitis: hoc tamen omnino aliquam mutati-  
onem in Deum inferre. Resp. negando id ipsum, dum enim Deus juxta  
ordinem a se institutum cum hominibus agere, & neminem ad bonas actiones  
cogere decrevit, certe non sequitur, Deum propterea mutari, quod non om-  
nes gratiam oblatam admittant, sed malitiose media illam consequendi con-  
sentientes non præmiis, sed pœnis afficiantur. Causa enim est penes ipsos  
mediis repugnantes, quos Deus per unam eandemq; voluntatem, citra ullam  
sui mutationem, non beneficiis maectare, sed punire constituit. Ex quo ta-  
men non licet concludere: Ergo, quia non omnes gratiam Dei consequuntur,  
affectus aut voluntas Dei non est æterna; aut, Deus patitur aliquam muta-  
tionem; plane illud non sequitur, quia nunquam aliter, nisi per sapius di-  
ctam rationem, illis bene voluit, relicta cuivis repugnandi libertate. Patet  
ex his, quid de allato exemplo sit judicandum, nempe haud quaquam illud  
ferire scopum. Justus enim Judex, si hominem delinquentem ad supplicium  
trahit, non potest vi justitiæ, quam administrare debet, ipsi amplius bene velle,  
licet antea ejus salutem serio voluerit: ita Deus quoque omnibus bene cupit,  
si media præscripta sequantur, sin minus, non potest non pœnas ipsis inflige-  
re. Non v. sequitur: tale quid realem mutationem in hominibus, adeoque im-  
perfectionem denotat, E. id quoque in Deo fasit, ut voluntas ejus exinde pe-  
riisse aut affectus divinus mutabilis, non æternus, dici queat. Multum  
enim humana voluntas inferior est divina, quam saltem pro captu no-  
stro & imbecillitate intellectus ita concipimus: non differentes interim, maxi-  
mam superesse difficultatem de modo quo Deus ad objecta libere se determi-  
net, quem capere satis haud possumus. His ita observatis, quilibet nullo ne-  
gotio responsionem ad reliqua theologica in argumento, a Voetio proposita,  
assurentia, adornare valet. Stat ergo inconcussa hactenus nostra senten-  
tia de distinctione antecedentis & consequentis voluntatis  
in Deo, cui pro auxilio præstito immortales  
agimus gratias.

FINIS.

mis. 1064

hellator in omi

Jalee  
v. 11  
Dah.

05 A 1064

ULB Halle 3  
003 755 029



510

V517 601







83.  
V.

Naturali  
IONEM  
is DEI

consequentem,  
DETIO

ositam,  
SIDIO  
E Söppers/  
a-Sax.

m examini  
ENS  
Sjardes/  
rifius,  
Anno 1692.  
MINORI.

JOHANNIS WILCKH.